

*neque mors neque vita poterit nos separare à Charitate Dei.* 1. Jois 3. v. 13. ait Evangelista & Apostolus : *Nos scimus , quoniam translati sumus de morte ad vitam.*

¶ Apostolos loqui non in propriâ personâ, sed in personâ omnium prædestinatorum; aut si de personis propriis loquantur, intelligendi sunt, quod ex revelatione cognoverint statum gratiæ; aliàs quamvis certum sit certitudine fidei in Ecclesiâ dari sanctos & justos, attamen nullus fidelis in particulari sine revelatione certò scire potest, se esse in gratiâ, sed tantum conjecturaliter.

DISPUTATIO XXVII.

*De justificatione impii.*

**P**Ræcipuus gratiæ sanctificantis effectus est reddere hominem Deo gratum & amicum, justum, unde si adveniat homini existenti in peccato mortali eundem justificat, sive justum facit de hâc justificatione aliqua contrâ hæreticos declaranda, aliqua inter Catholicos controversa decidenda sunt.

QUÆSTIO I.

*An justificatio fiat per formam inherentem?*

**N**Egant id de facto fieri hæretici dogmatizantes totam justificationem impii in hoc consistere, quod justitia Christi ipsi imputetur, contrâ quos

DICO. *Hoc, quod est Deum non imputare peccatum homini, importat quendam effectum in ipso, cui peccatum non imputatur.* S. Th. hic Q. 113. a. 2. ad 2.

Probat ex Trid. sess. 6. de justif. Can. XI. *Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi vel solâ peccatorum remissione exclusâ gratiâ & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhereat; aut etiam gratiam*



qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit. Postquam definitionem veritatis fidei, etsi omnes Catholici consentiant, de facto non fieri justificationem absque infusione gratiæ; attamen quidam Theologi adhuc sustinent, per absolutam Dei potentiam fieri posse remissionem peccati per solam voluntatem Dei extrinsecam absque ullâ infusione gratiæ. Contrà quos

*Probatur Conclusio* 1<sup>mo</sup>. Impossibile est aliquam rem transire de contradictorio in contradictorium sine aliquâ reali mutatione; sed peccator, dum consequitur remissionem sui peccati, transit de contradictorio in contradictorium: fit enim ex inimico amicus Dei, ex immundo mundus, ex deformati pulcher: ergo impossibile est illi remitti peccatum sine aliquâ reali mutatione vel Dei vel peccatoris; atqui Deus condonans vel remittens peccatum non potest mutari: cum sit omninò immutabilis; ergo necessariò debet converti peccator per realem sui mutationem, quod fieri nequit nisi vel per productionem alicujus rei positivæ, vel per destructionem rei positivæ; atqui in peccatore, dum remittitur peccatum, nihil positivum destruitur; ergo necesse est, ut aliquid de novo in illo producat: nempe forma opposita privationi debitæ rectitudinis, quæ est ipsa gratia justificans.

2<sup>do</sup>. Implicat privationem aliter tolli, quam per formam oppositam; sed macula peccati consistit in privatione quâdam nitoris animæ scilicet gratiæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum; ergo implicat maculam peccati habitualis aliter à peccatore tolli, quam per formam intrinsecam de novo communicatam sive per infusionem gratiæ sanctificantis.

*Obj. 1.* Non implicat Deum remittere peccatum solâ condonatione extrinsecâ: quia voluntas creata potest remittere offensam per solam condonationem extrinsecam

De  
em; cum  
caz, quam  
mediate off  
trinsecè illan  
g. Neg. c  
tualis adverte  
alicujus doni  
infusionem t  
Deum consist  
vid. gratiæ b  
gratiam.  
*Obj. 2.* I  
lius adoptivum  
invisus Deo  
donationem  
adoptivus fil  
& non pecc  
medio inter  
4. Distin  
re & per pec  
cus quam non  
non elevatæ  
ut quis sit ami  
fit non inimic  
quis creati fit  
etiam sine pec  
som non plus  
Dei, quam u  
quia in statu n  
inimicitia cum  
gratiæ, in qui  
fit, quæ neq  
*Obj. 3.* Pe  
mediate: c  
tum gratiæ &



eam ; cum igitur voluntas divina non sit minus effi-  
cax, quam creata, poterit illa per semetipsam im-  
mediatè offensam sibi illatam ultrò relaxare ex-  
trinsecè illam condonando.

2. Neg. conseq. disparitas est: quod offensa habi-  
tualis adversus hominem non consistit in privatione  
alicujus doni intrinseci, quæ non possit tolli nisi per  
infusionem hujus doni ; at verò offensa adversus  
Deum consistit in privatione alicujus doni intrinseci  
vid. gratiæ habitualis, quæ non potest tolli nisi per  
gratiam.

Obj. 2. Plus requiritur ut aliquis sit amicus & fi-  
lius adoptivus Dei, quam ut sit non inimicus & non  
invisus Deo ; ergo quamvis per extrinsecam con-  
donationem non possit homo fieri positivè amicus &  
adoptivus filius Dei, saltem poterit non inimicus  
& non peccator esse : manendo videlicet in statu  
medio inter amicitiam & inimicitiam.

3. Distinguendo ant. plus in statu naturæ eleva-  
tæ & per peccatum lapsæ requiritur ut quis sit ami-  
cus quam non inimicus N. in statu naturæ puræ sive  
non elevatæ Con. ante peccatum plus requiritur,  
ut quis sit amicus & filius Dei adoptivus, quam ut  
sit non inimicus & non invisus Deo : quia potuit ali-  
quis creati sine gratiâ & debito gratiam habendi &  
etiam sine peccato. Attamen post peccatum commis-  
sum non plus requiritur, ut quis sit amicus & filius  
Dei, quam ut sit non inimicus & non invisus Deo :  
quia in statu naturæ elevatæ, ut tollatur à peccatore  
inimicitia cum Deo, necessariò tolli debet privatio  
gratiæ, in quâ peccatum habituale formaliter consi-  
stit, quæ nequit tolli sine infusione gratiæ.

Obj. 3. Peccatum & gratia non opponuntur  
immediatè : cum detur status intermedius inter sta-  
tum gratiæ & peccati scilicet status naturæ puræ ;







sine præviis dispositionibus ; nec ex parte gratiæ , quæ ad sui introductionem non exigit essentialiter actum & motum gratiam recipientis : alias enim parvulis utpote actuum disponentium incapacibus in Sacramento Baptismi gratia infundi non posset.

*Obj. 1.* Sine gratiâ habituali per actum dilectionis Dei super omnia homo justificatur testante veritate æternâ Luc. 7. v. 48. *dimittuntur illi peccata multa quoniam dilexit multum* ergo sola gratia non est forma justificationis.

*R.* Negando Ant. cujus probatio explicatur : dimittuntur peccata propter dilectionem ut dispositionem in adultis ad dimissionem prærequisitam , non verò quasi formalis dimissionis causa sit actus dilectionis. Cum enim peccatum habituale sit voluntaria privatio gratiæ sanctificantis , exigit quidem necessariò in adultis actum contritionis , quo voluntaria illa macula retractetur ; sola tamen gratia est forma talem privationem expellens , unde contritio & reliqui pii motus sunt quidem dispositiones ad justificationem ex Dei ordinatione in adultis requisitæ , non tamen ipsa forma justificans.

*Obj. 2.* Per peccatum mortale avertitur homo à Deo ut ultimo fine , per contritionem autem & charitatem iterum ad Deum convertitur ; ergo actus contritionis & charitatis auferunt omne id , quod inveniunt in peccatore & consequenter justificant formaliter.

*R.* Per peccatum actuale quis à Deo avertitur actualiter , per peccatum autem habituale peccator à Deo avertitur habitualiter , actus igitur charitatis & contritionis sicut non opponuntur peccato habituali directè & formaliter , sed solum indirectè & dispositivè , ità etiam non formaliter & directè , sed solum indirectè & dispositivè justificant.



*Obj. 3.* Si per possibile vel impossibile peccator elicitō actu contritionis perfectæ non obtineret gratiam habitualem, tamen justificaretur & foret Deo gratus, nam *omnis qui diligit ex Deo natus est* 1. Joannis 4. v. 7. *Et qui diligit me* (inquit Christus) *diligetur à patre meo* Joannis 14. v. 21. ergo per solos actus charitatis vel dilectionis potest fieri justificatio.

*R.* Illo casu, quo Deus diligenti gratiam non infunderet, talis homo non justificaretur, sicut lignum calidum ut octo non accenderetur, si divinitus introductio formæ ignis denegaretur. Diligeretur quidem à Deo dilectione ad justificationem disponente sed non dilectione amicitia, quæ communicationem naturæ divinæ per gratiam præsupponit, cum autem Script. dicit: *omnis qui diligit ex Deo est*, intelligenda est de ordinario cursu agendi, quo dilectio à gratiâ nunquam est separata.

*Obj. 4.* Juxtâ D. Ang. 3. P. Q. 86. A. 2. *O. impossibile est peccatum mortale actuale sine penitentiâ remitti, loquendo de penitentiâ quæ est virtus*, ergo non potest homo adultus sine propriis actibus justificari, ut videtur definiisse Trid. Sess. 6. cap. 7. de justif. declarans, quod justificatio impii seu peccati mortalis remissio essentialiter sit voluntaria gratiæ receptio; atqui voluntaria receptio gratiæ esse non potest absque actu voluntatis disponente.

*R.* S. D. cum Con. loqui de remissione peccatorum prout de facto fit secundum legem Dei ordinariam ut S. D. mentem suam explicat hic Q. 113. A. 3. ubi asserit, ad infusionem gratiæ sanctificantis requiri motum proprium humanæ naturæ non simpliciter & absolutè, sed ut anima moveatur secundum proprium modum suum.

*Obj. 5.* Peccatori cui absque ullâ dispositione infunderetur gratia sanctificans, maneret conversus ad

DE J  
ad bonum cor  
set voluntatem  
quenter non j  
Neganc  
motabile conv  
actum sed per  
tus, qui sine a  
gratiæ consequ  
bonum incomi  
naturalem, cor  
cedenti volunta  
tionem illam ha  
Obj. 6. Si D  
remittere, sec  
peccatum volu  
nim repugnat pe  
tiz; si igitur D  
lam habet dispo  
fundere gratia  
potest etiam pec  
R. N. conse  
actuale & habit  
linat in primo in  
eum actuale  
dem instanti a  
um actu peccat  
to habituali i  
sanctificantem  
mal in eodem  
non potest infu  
liter peccatum  
forent gratia &  
Obj. ult. De  
converso averfu  
non potest hom  
conversum sine



ad bonum commutabile : quia nunquam retractasset voluntatem antecedentem peccandi & consequenter non justificaretur.

R. Negando conseq. quia talis ad bonum commutabile conversio in tali casu tolleretur non per actum sed per habitum incompatibilem, hinc adultus, qui sine actu proprio liberi arbitrii infusionem gratiæ consequeretur, esset simpliciter conversus ad bonum incommutabile vid. Deum authorem supernaturalem, conversio autem relicta à peccato ex præcedenti voluntate peccandi esset sublata per conversionem illam habitualem gratiæ.

Obj. 6. Si Deus potest sine actu proprio peccatum remittere, sequitur Deum etiam posse remittere peccatum voluntate actualiter peccante : æque enim repugnat peccatum actuale quam habituale gratiæ ; si igitur Deus peccatori habituali, dum nullam habet dispositionem ad conversionem potest infundere gratiam sanctificantem, cur id facere non potest etiam peccatori actuali ?

R. N. conseq. disparitas est inter peccatum actuale & habituale : quod peccatum habituale desinat in primo instanti infusionis gratiæ, peccatum autem actuale supponitur non desinere, sed in eodem instanti adhuc permanere : cum supponatur tum actu peccare, potest igitur Deus homini peccato habituali infecto sine omni ejus actu gratiam sanctificantem infundere, & sic gratia non erit simul in eodem instanti cum peccato habituali ; at non potest infundere gratiam homini, dum actualiter peccatum mortale committit : quia sic simul forent gratia & privatio ipsius.

Obj. ult. Deus non potest facere hominem ex converso aversum sine actu proprio aversionis ; ergo non potest hominem non conversum ad se reddere conversum sine actu proprio conversionis.



R. N. conseq. quia aversio à Deo malum & peccatum est, quod nec velle nec causare potest Deus; at verò conversio ad Deum est quoddam bonum, quod Deus velle & causare potest.

### QUÆSTIO III.

*An peccatum mortale sit impossibile cum gratiâ habituali.*

**D**E fide est, de facto gratiam habitualem esse incompossibilem cum peccato, ut definivit Trid. Sess. 5. de peccat. orig. Can. 5. si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptisinate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet. . . . . Anathema sit sed quæstio est an per absolutam Dei potentiam non possit peccatum mortale consistere cum gratiâ habituali.

**DICO.** *Gratia infusio, & remissio culpa... possunt considerari ex parte objectorum & sic differunt secundum differentiam culpa, quæ tollitur, & gratia, quæ infunditur. Sicut etiam in rebus naturalibus generatio & corruptio differunt, quamvis generatio unius sit corruptio alterius, S. Th. hic Q. 113. a. 6. ad 2. Sive peccatum mortale consistere non potest etiam per absolutam Dei potentiam cum gratiâ sanctificante.*

Probat: imprimis peccatum habituale & gratia non possunt ullâ potentiâ simul consistere; quia peccatum habituale est privatio gratiæ; atqui privatio non potest simul in eodem subjecto consistere cum formâ quâ privat: cum idem non possit simul esse & non esse; ergo peccatum habituale non potest in eodem subjecto consistere cum gratiâ.

Deinde peccatum mortale actuale non potest simul esse cum gratiâ: quia nullâ potestate fieri potest, ut  
homo

De J  
homo sit simul  
amicus & inimic  
equi per quodli  
tus à Deo, inim  
verum homo est  
Deo dilectus: it  
gratiæ; ergo im  
peccato mortali a  
plicat lumen & t  
ora.  
Obj. 1. Pecca  
restatur Trid. S  
semel justifica  
deratur: quia g  
quom per obst  
tum; ergo pri  
tractatur, ade  
atum subtrahere  
quenter peccatum  
& Distinguen  
atum, quàm gr  
actus peccati  
te, quam tamen  
ogitur, quod I  
mortale labi, &  
liberare: quia  
tam vivere & me  
niam mundum est  
tati. Quamvis  
n gratiam influat  
remittat homine  
del peccatum per  
idel gratiam co  
pugnancia.  
Obj. 2. Per pe



homo sit simul averſus à Deo & converſus ad Deum, amicus & inimicus Dei, à Deo dilectus & Deo exoſus; atqui per quodlibet peccatum mortale homo eſt averſus à Deo, inimicus Dei, & Deo exoſus; per gratiam autem homo eſt ad Deum converſus, amicus Dei & Deo dilectus: in his enim conſiſtit primarius effectus gratiæ; ergo implicat in eodem ſubjecto gratiam cum peccato mortali actuali ſociari, non minus quam implicat lumen & tenebras aërem in eâdem parte afficere.

*Obj. 1.* Peccatum antecedit gratiæ ſubtractionem ut teſtatur Trid. ſeſſ. 6. de juſtif. cap. xi. Deum ſuâ gratia ſemel juſtificatos non deſerere, niſi ab eis prius deſeratur: quia gratia per peccatum ab animâ pellitur, tanquam per obſtaculum divini luminis influxui oppoſitum; ergo prius contingit peccatum, quam gratia ſubtrahatur, adeoque poſito peccato Deo adhuc eſt liberum ſubtrahere vel non ſubtrahere gratiam & conſequenter peccatum non neceſſariò expellit gratiam.

*R.* Distinguendo conſeq. prius naturâ contingit peccatum, quàm gratia ſubtrahatur Con. priùs tempore N. actus peccati præcedit naturâ ſubtractionem gratiæ, quam tamen eodem instanti reali infert; ſuppoſito igitur, quod Deus permittat hominem in peccatum mortale labi, & in eo permanere, vult etiam gratiam ſubtrahere: quia velle non poteſt eodem instanti hominem vivere & mori, à ſe recedere & ſibi per gratiam uniri, mundum eſſe à peccato & maculâ peccati coinquinari. Quamvis igitur Deus abſolutè loquendo liberè in gratiam influat illam conſervando, liberè quoque permittat hominem peccare; ſi tamen unum velit videl. peccatum permittere, alterum neceſſariò non vult videl. gratiam conſervare: quia non poteſt velle repugnantia.

*Obj. 2.* Per peccatum demeritoriè expellitur gratia; quia



quia peccatum est motivum, ob quod divina justitia ab homine gratiam sanctificantem subtrahit; atqui Deus posito peccato non necessario illud punit: quia absolute potest peccatum relinquere impunitum; ergo hominem peccantem mortaliter non necessario gratiâ privat.

R. Transmissâ maj. quia non tantum demeritoriè sed etiam tanquam aliquid privativè oppositum gratiæ peccatum gratiam expellit. Distinguendo mi. non necessario aliâ quâcunque pœnâ Deus peccatum punit Con. pœnâ subtractionis gratiæ, quæ non est pure pœna N. posito quod peccator maneat in voluntate peccandi, Deus pœnam subtractionis gratiæ necessario infert: quia implicat, quod Deus illum amicum suum efficiat, qui constanter vult esse & manere ejus inimicus, neque ex hoc sequitur, quod Deus gratiam invito det sed mediante gratiâ voluntatem convertit & ex invitâ facit volentem.

Obj. 3. Actus non expellit necessario habitum oppositum, cui non directè sed indirectè opponitur: sic quamvis habitus temperantiæ directè opponatur habitui intemperantiæ, tamen actus intemperantiæ, qui est causa efficiens habitum intemperantiæ, non statim totum habitum temperantiæ expellit; atqui peccatum mortale actuale directè non opponitur gratiæ sanctificanti, sed indirectè: quia peccatum actuale causat peccatum habituale, quod directè opponitur gratiæ sanctificanti; sicut igitur possunt esse in eodem subiecto actus intemperantiæ & habitus temperantiæ, ita etiam peccatum actuale mortale & gratia sanctificans.

R. Distinguendo maj. actus non expellit necessario habitum oppositum indirectè oppositione pure contraria, eo quod habitus sit inclinatio habitualis in actus contrarios Con. oppositione privativâ sive virtualiter contradictoriâ N. exemplum adductum est opposito-

rum

non pure contr  
cessario expellit  
consequuntur p  
quantur ex co  
implicat esse subj  
hereditatem pa  
in supplicii, qu  
actuali.

Suppono, Ex  
stantaneus  
deus est, quan  
um ad quem in  
minus a quo & te  
i; hoc enim et  
ter terminos op  
esse non possunt  
alium sit in in  
a uno instanti a  
quando in tempo  
minio a quo ad  
terminus ad quem  
ipii est quidam r  
tino ex injusto fi  
tio illa fiat in inst  
DICO, Tota ju  
rata vofusione...  
vofuse successione  
Probat: ratic  
ducatur in subje  
ultima dispositio  
virtutis indiget  
qui in iustificatio



rum purè contrariè actûs & habitûs: tunc actus necessariò expellit habitum, quando ex actu & habitu consequuntur prædicata contradictoria, qualia consequuntur ex compositione gratiæ cum peccato: quia implicat esse subjectum dilectionis & odii, habere jus ad hæreditatem patriæ cælestis, & habere reatum æterni supplicii, qui effectus sequuntur ex gratia & peccato actuali.

Q U Æ S T I O I V.

*An justificatio impii fiat in instanti?*

**S**uppono, Ex Philosophia: quod motus alius sit instantaneus & alius successivus. Motus instantaneus est, quando transitur à termino à quo ad terminum ad quem in instanti, non quod duo termini, terminus à quo & terminus ad quem sint in eodem instanti: hoc enim est impossibile: cum omnis mutatio sit inter terminos oppositos, qui in eodem instanti simul esse non possunt, sed quod transitus de uno termino ad alium sit in instanti, sive quod terminus ad quem in uno instanti acquiratur. Motus successivus est, quando in tempore vel per partes temporis transitur à termino à quo ad terminum ad quem, sive quando terminus ad quem per partes acquiritur. Justificatio impii est quidam motus vel quædam mutatio, per quam homo ex injusto fit justus. Quæritur modo: an mutatio illa fiat in instanti vel in tempore. De quo.

**DICO.** *Tota justificatio impii originaliter consistit in gratia infusione . . . gratiæ autem infusio fit in instanti absque successione.* S. Th. hic Q. 113. a. 7. O.

Probat: ratio, quare aliqua forma successivè introducatur in subjectum, est, quia subjectum non est in ultima dispositione ad formam, vel quia agens finitæ virtutis indiget tempore ad producendam formam, atqui in justificatione impii neutrum horum locum habet:



bet: tum quia Deus infundens gratiam est infinitæ virtutis, tum etiam quia sufficientem dispositionem efficere simulque eodem momento formam gratiæ introducere potest, sicut fecit in conversione S. Pauli, cum simul dedit dispositionem ad gratiam & ipsam gratiam, & quamvis ordinariè hoc in justificatione impiorum non faciat, sed paulatim & successivè ipsos præparet, nihilominus ipsa justificatio seu gratiæ infusio & consequenter etiam peccati remissio fit in unico instanti; extrema enim justificationis sunt gratia & privatio gratiæ, inter quæ non cadit medium, per quod perveniatur ab uno extremo ad alterum; quando autem inter extrema mutationis vel motûs non est medium transitûs de uno ad alterum, mutatio fit in instanti; sicut igitur privatio gratiæ fit in unico instanti, in quo est conversio in peccatum mortale, ita recuperatio gratiæ vel justificatio fit in unico instanti, in quo Deus infundit gratiam & animam per peccatum mortuam reddit vitæ spirituali.

Confirmatur illa forma successivè producitur, cuius contrarium aut privatio opposita intenditur aut remittitur; sic per frigefactionem frigus successivè introducitur: quia forma opposita frigori calor scilicet remittitur; atqui privatio gratiæ, quæ per peccatum in animam fuit introducta, secundum se (licet actus quo causatur possit esse intensior & remissior) nec intenditur nec remittitur; ergo nec gratia successivè introducitur sed in instanti.

*Obj. 1.* Forma, quæ habet latitudinem gradualem, potest successivè introduci: sic omnes ferè qualitates intensibiles successivè acquiruntur & perduntur; atqui gratia habet latitudinem gradualem: cum sit intensibilis & remissibilis, & unus majorem alio gratiam recipit, & gratia recepta in anima per exercitium bonorum operum, susceptionem Sacramentorum paulatim augetur; ergo gratia in animam successivè introducitur.

Di Ju  
 2. Negando  
 enim hæc est ratio  
 hinc sed propter  
 subjecto jura S.  
 forma habeat lat  
 sequitur, quod  
 lumine, quod  
 quamvis per acci  
 nem successivam  
 ratio cessat in intr  
 te virtutis in an  
 perfectæ extrâ S.  
 ctis in Sacramen  
 tem istius disposi  
*Obj. 2.* Ad jul  
 lis deliberatus pe  
 requit: cum de  
 ficatio non potest  
 3. Transmissio  
 deliberatio ad elec  
 est de requisitis p  
 quamvis deliberat  
 queretur tamen ip  
 vè, imo & ipse con  
 ti; cum Deus ali  
 in unico instanti c  
 tentum voluntatis  
 et cum ipsa disposi  
 tione Eccles. 11.  
 in bonis stare panpe  
*Obj. 3.* Gratia  
 successivè introduc  
 a benignam, quia f  
 mmaria peccator  
 tum fidei, spei,  
 1. 2. Theol. S



R. Negando maj. universaliter intellectam, non enim hæc est ratio, quare non recipiatur forma in instanti sed propter defectum agentis vel dispositionis in subjecto juxtà S. Th. l. cit. ad 3. unde ex hoc, quod forma habeat latitudinem gradualem, non necessariò sequitur, quod successivè introducatur: ut patet in lumine, quod secundum se in instanti introducitur quamvis per accidens per motum localem & applicationem successivam luminosi introducatur successivè, quæ ratio cessat in introductione gratiæ: Deus enim infinitæ virtutis in animâ habente dispositionem charitatis perfectæ extrà Sacramentum vel alterius dispositivi actûs in Sacramento in instanti gratiam juxtà proportionem istius dispositionis infundit.

Obj. 2. Ad justificationem impii requiritur consensus deliberatus peccatoris; atqui talis in instanti haberi nequit: cum deliberatio exigat tempus; ergo justificatio non potest esse in instanti.

R. Transmisso anteced. Negando conseq. quia deliberatio ad electionem vel consensum necessaria non est de requisitis pro instanti justificationis, ideoque quamvis deliberatio non esset sine successione, non sequeretur tamen ipsam justitiæ infusionem fieri successivè, imo & ipse consensus deliberatus potest esse in instanti: cum Deus aliquando homini in peccato obdurato in unico instanti det illuminationem intellectûs & consensum voluntatis ac ità totam dispositionem ad gratiam & cum ipsâ dispositione formam sanctificantem: quia juxtà Eccles. 11. v. 23. *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.*

Obj. 3. Gratia, ad quam se homo successivè disponit, successivè introducitur; sic calor successivè introducitur in lignum, quia frigus successivè expellitur; atqui viâ ordinariâ peccator se ad gratiam successivè disponit per actum fidei, spei, timoris, pœnitentiæ, qui ordinariè



non sunt in instanti; ergo justificatio non fit in instanti.

Rz. Negando maj. quamvis enim dispositiones remotæ ad gratiam sint tempore præcedentes justificationem, ipsa tamen dispositio proxima est in eodem instanti, in quo est justificatio: si enim in illo instanti, quo est dispositio ultima, non produceretur tota forma justificationis, esset ex defectu potentæ in producente, sed in producente nullus potest esse defectus potentæ; ergo in illo instanti tota forma justificationis producitur. Exemplum est: quamvis dispositiones ad formam ignis in ligno corrumpendo successivè introducantur, ipsa tamen forma ignis in instanti, quo est ultima dispositio ad formam ignis introducitur per generationem substantialem, quæ (ut in physicâ docetur) est motus instantaneus.

Obj. 4. Justificatio impij sæpe fit mediante susceptione Sacramenti; atqui Sacramentum non potest suscipi in instanti: cum ad Sacramentum requiratur applicatio materiæ, pronuntiatio formæ, quæ in instanti esse non possunt; ergo neque justificatio, quæ sæpè est effectus Sacramenti, nequit esse in instanti.

Rz. Negando conseq. ult. quia quamvis administratio & susceptio Sacramenti fiat in tempore, effectus tamen Sacramenti qui vel est gratia prima sive gratia justificans, vel gratia secunda sive augmentum gratiæ, est in instanti terminativo extrinseco Sacramenti: hoc est: quando verum est dicere: jam non sunt partes Sacramenti, quæ tempore immediatè antecedenti erant; sicut etiam generatio substantialis est in instanti terminativo extrinseco alterationis præcedentis; de quo plura de Sacramentis.

